

I. N. D.

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE

HERO

MECHANICIS

Seu

*Uulgatis Miraculis Mundialibus,*

Quam

FACIENTE DEO GRATIAM

Ex Consensu Ampliss: SENATUS PHILOS.

PRÆSIDE,

*Uiro Celeberrimo,*

M. CHRISTIERNO

A L A N D R O,

Eloq. Prof. Ord. h. t. Coll. Phii. Decano,

*in illustri Acad. Aboënsi, d. 31 Maji An. 1698.*

*ad examen publicum defert*

ANDREAS KECKONIUS, J. F.

Satag. Fiol.

---

Exc. apud Jo. LAURENT. WALLIUM.

*Lpx Öberg.*

VIRO

Plurimum Reverendo

Atque

Clarissimo

DN. JOHANNI

KECKONIO,

PASTORI in Swittis Optime

Merito,

Nec non

Ecclesiarū adjacentium PRÆPOSITO

Gravissimo,

PARENTI

meo

submisle colendo.

PATER Carissime

**N**omini Tuo, PARENS carissime,  
dissertationem hanc, pro captu  
ingenii simpliciter exaratam, di-  
care aggredior; nec enim mihi tantum  
sumo, ut alienis titulis illam illustrem,  
de quâ non tuto affirmaverim utrum lu-  
cem aspicere mereatur, an cum edita sit,  
manibus occupatis ut tangatur, digna  
censeri possit. TE cum plurimum sciam  
bis ausibus delectari, contentum pariter  
iis fore confido, primitiis equidem inge-  
nii, immaturis si ad uberiora conferan-  
tur, at sibi sufficientibus, si quam vo-  
lu-

lupratem animo Tuo Paterno afferant  
spectitur. Nec aliud mihi suadet pro-  
pense tuæ benignitatis crebra conside-  
ratio, quâ tantum tibi devinctus sum,  
quantum ab ejus laudibus mea retinetur  
tenuitas. Benigno igitur vultu, hoc quid  
quid est, respicias quæso, non ut remun-  
erationem eximia & paterne tue bonita-  
tis, sed ut indicium mee in te, Carissi-  
me Parens, humilime pietatis. De ce-  
tero vota, pro perenni tua incolumitate,  
persolvere nunquam desistam, qui constan-  
ter duro

Carissimi PATRIS

Elius obsequentis-  
simus

And: Keckoniur.

JUVENI

*Pereximio & Præstantissimo,*

DN. ANDREÆ KECKONIO,  
propinqviori vinculo & necessitu-  
tudine mihi junctissimo, publico  
exprimento *Miracula edenti,*  
*In Reipublicæ spem, & Natalium ho-*  
*nestissimum cultum, signata*  
*Gratulatio:*



Dcce refert nomen promptissi-  
ma cordis & oris

Dona tuum scriptum, quod  
Pater ipse dedit

Dexteritas pariter civilis sistitur iplo

Subdola quam non mens, promittit ac  
arte vacans,

Munera tanta gerens, capies plaudenti-  
bus æquis,

Grata Patri soboles, vota decusque  
Tibi.

*Quam à vexediasi sed L. Mq. reli-*  
*quit occupatissimus*

DAVID RUND/  
S. S. Theol. Prof.

SUPER MUNDI MIRACULA  
Juvenis

*Cum eruditionis laude, tum natalium honestate Commendatissimi,*

DN ANDREÆ KECKONII  
Amici egregiè dilecti.

**P**endentem dudum cecidère Semiramis  
horti;  
Mausoli dudum busta superba  
jacent:

*Ipsa suos cineres Ephesina Diâna gemiscit:  
Niliaca accendit litora nulla pharus.*

*Nunc quo Ægyptiaca turres, Rhodiusque  
Colossus?*

*Nunc quo Phidiaci fugit imago Jovis?  
Tempus edit sensim veterum monumenta vi-*  
*rorum,*

*Ipsaque nature robora tempus edit.*

*Si quid ab his superest, durantior ære papyrus  
Servat Et in scriptis pristina fama viget.*

*festinab:*

WILHELMUS GIVORST. RUDEEN.



Super elegantem

De MUNDI MIRACULIS DISSERTATIONEM,

*Juvenis præstantissimi*

Dn. ANDRÆ KECKONII

Amici & popularis dilecti.

Candida dum Noster lustrat fastigia Templi  
Aonidum, studio candidus ipse simul.  
Ipse simul claræ voluit miscerier aulæ,  
Cum placido talem protulit ore sonum:  
Non vobis pretium est, moles operumq; la-  
bores,  
Spes vobis omnis, recta superba, jacet.  
Fulgidus is splendor quodam ceu tempore falsis  
Lulit imaginibus, sic latet omnis iners.  
Scilicet & crebris prostat teriturque ruinis,  
Humano quidquid fingitur ingenio,  
Solæ cum mancant virtus pietasque perennes.  
Aonidum fas est has superesse domos.  
Hæc dixit: dictumque dedit tam nobile chartis,  
Cernimus has omnes, quas terimusque  
manu.

*Honoris ergo cum voto omni-  
genæ felicitatis lud.*

AND: PRESS.

In  
Doctam  
De  
HEROMECHANICIS  
&

MIRACULIS MUNDI  
Disputationem,  
Jovenis Præstantissimi

DN. ANDREÆ KEC-  
KONII,

Ur monstrat docte noster KEC-  
KONIUS artis  
Mirandas vires, sic pariterque  
docet

Quas ipsi dederat vires natura be-  
nigna;  
Ingenium sollers præmia pulcra  
feret.

Occupatissimus scrib.  
DANIEL SIRENIUS.





## CAPUT PRIMUM.

*De miraculis quâ nomen ipsum, mirum  
est monstrum, quid monstrum?  
dictum à monendo.*

**P**riusquam de iis, quæ  
in maxima admiratio-  
ne omni populo sem-  
per fuere, quidquam  
differo, nomen *mira-*  
*culi* paulo propius iuvabit expen-  
dere. Sortitur id denominationem  
a verbo *mirari*, quod in admiratio-  
nem rapiat se aspectantes; *mirari*  
autem Martinius deducere non du-  
bitavit ab Hebræo מִרְאָה, quod vi-  
sum significat, quum it qui mirantur,  
rem a se nunquam antea visam intente

aspiciant, idque non sine voluptate & stupore. Unde plane a nobis aliena illa acceptio est, quæ voce *Miraculi*, antiquos in rebus turpibus usos fuisse observat Festus: quæ ratione etiam *Miraculum* Plauto convitium in *Meretrices* est. Sicuti etiam hic excludimus res miraculosas, quæ supra naturam factæ sunt, quarum prolixam seriem sacræ habent literæ; eas solum tractaturi, quæ splendida sua structura & insolita mole hominibus movent admirationem, reliquas alioqui miras in orbe passim traditas ex occasione saltem recensendo. Et quæquam verbum *mirari*, a quo *miraculum* esse diximus, propriè fit in admirationem rapi re aliqua nova, & a quibusdam observatum habeamus, *mirum* veteribus positum esse pro *novo*, sæpissime denique usu veniat, ut id quod jam in pretio est, successu temporis

ris vilescat excidatque pristina gloria; ut hujus tempestive nos commonefacit Lucretius Lib. II. 1026.

*Nibil adeo magnum nec tam mirabile  
quidquam*

*Principio, quod non minuunt mirari  
omnes*

*Paulatim*

Dubium tamen non est, quin vox Miraculi, illis rebus quas primario dignas hoc nomine censemus, apprime conveniat, cum non secus ac novum semper sit id, quod suam præstantiam, quam reliqua in terris supergreditur, sui admirationem nullo non tempore cunctis injicit, & sic ne quidem quotidie spectantibus vilescere potest. Porro appellatur, quoque res stupenda nomine *monstri*, quod est, *quidquid inusitatum ac præter naturam accidit*: diciturque non incommode & a monendo & a monstrando, cum demonstrationi semper conjuncta sit admonitio.

## CAPUT SECUNDUM.

*De miraculis decantatis septem; De Templo Hierosolymitano an us accenseri debeat.*

## §. I.



ETERUM ad expositionem rei ipsius nos accingemus, & hoc quidem loco signabimus septem

illa miranda orbis terrarum vulgo decantata. Atque primo digni laude & admiratione sunt *famosissimi Miri Babylonii*, Alexandri Magni ejusque exercitus oculos pulchritudine sua & venustate in se convertentes. Erat Babylon quæ nomen a turri Babel accepit, metropolis Assyriæ Chaldææ, a quâ reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia appellata est, claritate præ cæteris in toto orbe civitatibus superbiens quamquam Aristoteles gentis sive provinciæ potius, quam civitatis rationem habuisse cen-

3  
censendus est. De conditore e-  
jus orta dissensio est inter Auto-  
res : quorum veteres quidem fere  
omnes , tam Græci quam Lati-  
ni , præcipue Diodorus , Justinus  
& Strabo fundamenta ejus jacta  
esse volunt à Regina Semiramide,  
uxore Nini. Augustinus vero, Jo-  
sephus & Marcellinus , cæterique  
Christiani freti testimonio sacrarum  
litterarum a Nimrode iisque qui ad-  
juutores ei hac in re fuere, condi-  
tam primitus asserunt, instauratam  
vero & circumdatam muris a Se-  
miramide, qui inter miracula mun-  
di recensentur. Hi instructi erant  
laterculo coctili interlito bitumine,  
sumpto ex lacu Syriæ bituminoso,  
nomine Asphaltitæ, qui natus est  
ex ruinis urbium excisarum divi-  
nitus, Sodomæ, Gomorrhæ & cæ-  
terarum in aquam demersis, hodi-  
eqve manens in testimonium illu-  
stre iræ DEI. De altitudine & cir-  
cuitu murorum discordant inter se



Autores; quam inconstantiam mensuræ facit diversitas, cum alii aliâ in illis determinandis usi sint. Nam Plinius Lib.6. cap.26 refert illorum ambitum sexaginta millia passuum fuisse, ducenos pedes altos, quinquagenos latos, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam Romanâ. Curtius autem lib.5. cap.1. spatium triginta & duorum pedum latitudinem amplecti, altitudinem vero centum cubitorum eminere spatio: in quo posteriori Plinio concinit. Reliquos hic dissentientes, studio brevitatis ne nominamus quidem. Cæterum in eo omnes convenire constat tantam murorum fuisse latitudinem, ut quadrigæ, etiam teste Diodoro, sex inter se occurrentes sine periculo commeari potuerint. Turres in circuitu positæ trecentæ numerantur, denis juxta Curtium pedibus, quam muri altiores. Portæ ex ære confectæ centum extiterunt, quæ cum suis



suis cardinibus per ambitum mu-  
 rorum stabant. Euphrates demum  
 medios muros scindebat, ipsam-  
 que urbem secabat. Hoc illude-  
 rat opus portentosum, in quod, re-  
 latum legimus trecenta millia ho-  
 minum evocata ex cunctis, Semi-  
 ramidi subiectis Regnis, studiose o-  
 peram dedisse. Huc præterea ar-  
 cem referunt ebore, auro & ar-  
 gento ad stuporem usque exorna-  
 tam: quæ & ipsa ambitu suo vice-  
 na stadia seu tres partes milliaris  
 Germanici comprehendit, hujusque  
 muri octoaginta pedes, fastigio suo  
 in altum educto, æquasse scribuntur.  
 Super hæc vult Curtius pensiles  
 hortos extitisse, qui pilis faxeis su-  
 stinebantur, mole suâ & amplitudi-  
 ne satis notabiles; singula enim ho-  
 rum latera quaternorum erant ju-  
 gerum. Supremum tabulatum ha-  
 bebant artificiose constructum &  
 terrâ profunda constratum. Maxi-  
 mam

nam vero afferebant delectationem arbores frugiferæ quæ altitudine quinquaginta pedum, & crassitudine octo cubitorum, procul visentibus quandam sylvæ speciem objiciebant, quas ut & cætera quæ hortis decori sunt, aquas per ductus occulte fabricatos rigasse constat. Etiam pontem qui Euphratem conjungebat, hic recensent, ope, ut Diodorus ait, propter paludes, quæ urbem ambiunt, factu difficillimum: longitudinem quinque stadiorum superasse dicitur, duodecim columnis lapideis in flumine positis innixus. Ex his quanti æstimari debeat hoc orbis miraculum facile colligitur. Ipsa urbs cum capta aliquando ab inimicis esset, prius illis, qui alteram inhabitabant partem non innotuit, quam tertio postmodum die, cujus nobis indicium facit Aristoteles L. 1. c. 3. Polit: Quamquam vero hæc urbs vere multum habuit admirationis, fidem tamen minus ex-

excedit, quo factu res structoribus erat facilior, tum ob maximas, quibus abundabant facultates, tū ob id præcipue, quod prolixâ annorum serie sedes Monarchiæ universalis extitit. Capta tandem a Cyro est & Dario, Regno ad Medos prius, mox ad Perlas translato. Honorio autem imperante, vix e ruderibus loci deserti incultiq; vestigia extitisse dicitur, quæ urbis situm indicarent.

§. II.

Proximum huic locum damus *Templo Diana Ephesinae*. Situm id erat in urbe Joniæ nobilissima quondam & præcipua Ephelo, inde sic dicta. quod eam terram Amazonibus Hercules permiserit, ἔφεσον enim Græci permissionem seu concessionem dicunt. Sic Plutarchus in vitâ Solon : ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἔφεσις ἔδωκε τοῖς θελομένοις. Diana autem cui hoc templum exstruebatur, Jovis ex Latona erat filia, quæ & eadem Lucina est, quam in

in partu, ut opem ferret invocabant, dicta quoque *λυσίζων*: quoniam gravidæ tactæ, Zonam, quam intumescente utero, gestare amplius non possent, in eodem, de quo nunc sermonem occepimus, hujus Deæ templo deponebant. Occasionem vero tanti conatus structoribus id dedit, quod Diana circa Ephesum nata esset, existimabant igitur cultū ejus hoc loco impensius colendum esse. Ipsum templum ex cedro & cedrinis trabibus, ex quibus etiam tectum convenit, totis ducentis, viginti annis ab universa Asia exstructum, magnificentiæ vera admiratio extitit: Huic operi Chersiphon architectum se præbuit, cujus impulsu factum est, ut in loco palustri ædificatum fuerit, ne terræ motus sentiret aut hiatibus subverteretur. Rursus ne in lubrico & instabili locaretur, fundamenta tantæ molis calcatis substructa sunt carbonibus

vel-

velleribus lanæ admixtis. Univerſo templo longitudo erat quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ſpatium ducentorum viginti continebat; columnæ vero centum viginti ſeptem a ſingulis Regibus totius Aſiæ factæ, in ſexaginta pedum altitudinem excreſcebant: ex his triginta ſex fuerant cœlatae quarum omnium ſcapo, epiſtylia miro artificio erant impoſita, teſte Plin: l. 36. cap. 14. his accedunt poſtes marmorei monolithi, ab utroque introitu dextro & ſiniſtro, longi cubitis viginti, ſplendidiffime, adornati. Valvas habuit cupreſſinas, nitore æterno conſpicuas: ſcalas præterea vitigineas ex una vite Cypriâ factas ex quibus tectum ſcandebatur. Maxima difficultas verſabatur in limine ſuperiori foribus imponendo, hoc enim cum nullo conſilio excogitato, maxima quia moles erat, fieri poſſe deprehendit architectus, ferro dedecus, ex imper-



perfecto opere sibi futurum evitare destinavit; quod etiam fecisset, nisi in somniis Deæ, cui templum fiebat, speciem, lapidem componentis & ut sibi parceret admonentis, vidisset: Atque ita postero die apparuisse *autor est Plin*. In hoc templo post ædem, positum quoque fuit teste Plin: l. 36. c. 5. *Hecates simulacrum, in cuius contemplatione* Ædicus admonuit spectantes, ut oculis parcerent; tanta fuit memoris radiatio. Sed & simulacrum *Dianæ Ephesæ* hic visebatur, tam artificiose fabricatum, ut ingenium humanum superare videretur; factum enim erat ex Ebena, vel ut aliqui putant ex arbore vitiginea, & nunquam mutatum fuit, septies templo restituto. juxta hoc asylum quoque fuerat conditum ab Alexandro, omnibus sceleratis libertatem, in Dianæ gratiam impertiens: quod tandem Julius Cæsar destruxit, quum multis malefaciendi audaciam præberet.



Porro opulentissimum hoc templum  
 ea nocte quâ natus, est Alexander  
 Magnus deflagra se tradit *Aurel:  
 Aug. l. 4. de Civ. Dei.* Idque absente  
 Diana factum fabulantur, dum operi  
 tulit parturienti Olympiadi, & ex  
 ea occasione a templo esset pro-  
 cul apud Pellam; hinc interrogatus  
*Herostratus*, hoc enim ei, qui tem-  
 plo faces subdidit, nomen e-  
 rat, *quam ratione tantum facinus  
 patrare ausus fuerit?* Haud dubitavit  
 fateri: *se nulla re alia nomen immorta-  
 le, cuius desiderio maxime tenebatur, com-  
 modius consequi potuisse:* Quia tamen  
 ipse nonnihil frustratus est; nam  
 paulo post communi Asiæ decreto  
 sancitum est, *ne quis nomen ejus ullo  
 in tempore nominaret;* ne voti sui quod  
 scelestissimo animo verlabat, com-  
 pos redderetur, *teste Gellio noct. Attic:  
 lib: 2 c. 6.* Sic per scelestum homi-  
 nem opus destructum est, cui ut ma-  
 gnificentissimo, Xerxes pepercerat,  
 etiamsi cuncta Asiæ templa igni de-  
 di.

disset. Nihilominus postmodum ad augustiorem cultum Ephesii id reformarunt; & quamvis a septuplici destructione & totuplici restitutione celebretur, tandem tamen finaliter deletum est. Erat etiam aliud templum Dianæ in Hispania & quidem Sagunti a Zachynto lex trabibus juniperinis ædificatum, idq; ducentis annis ante exidium Trojæ floruisse constat ex *Plin: l. 16. cap. 40* Annibalem religione inductum huic templo pepercisse memoriæ proditum est. Sunt & alia ejusdem templi quam plurima, quæ nihil attinet huc afferre.

### §. III.

Inter orbis miracula tertium est *Olympii Jovis simulacrum*, cujus autorem Phidiam quendam Atheniensem extitisse constat ex epigrammate pedibus simuachri adscripto:

Φειδίας χαλμίδε υἱὸς ἀθηναῖος μ' ἐποίησε.

Hic

Hic pariter Minervam, in proverbium quæ abiit, Athenis fecit; & scutum illud quod *Plin. lib. 36. cap. 5.* describit. Hinc illud Ciceronis: *Dignum est hoc opus ut in Phidie officinâ collocetur.* Hoc præcipuum erat e pretiosissimis donariis quibus templum Jovis Olympii, sesqui milliario ab urbe Elide situm, locupletissimum extitit. Ita autem adornatum fuit, ut simulachrum ex auro & ebore factum in throno, qui auro præfulgebat & pretiosis lapidibus, ut tamen nec ebenum nec ebur desideraretur. Capiti impositam habuit coronam. ad oleaginæ frondis imaginem. Dextra Deam Victoriâ, ex ebore & auro factam cum tæniâ & corona prætulit. Læva sceptrum tenuit affabre expolitum, & omnium metallorum varietate distinctum, cujus apici aquila incubuit. Aurei ipsi erant calcei; pallium item aureum, in quo cum diversa animalia; tum ex omnibus florum generibus

lilia imprimis, celata fuerunt. Ad pedes præter alias picturas, Thebanorum pueri a Sphingibus rapti sunt; infra Sphinges Apollo & Diana Niobem & liberos ejus sagittis confecerunt. Magnitudo vero sedentis erat, ut surgere, si vitam acciperet, non posset, quamvis altum & magnificentum templum id foret, ni capite percurrere tectum vellet. *L. Ampelius* longitudinem ejus centum & quinquaginta, latitudinem vero sexaginta cubitorum definit. Dicitur porro Phidias perfecto simulachro comprecatus, ut si absolutum ex animo videretur opus, signo id quopiam manifestaret. confestimque de cælo tactum pavimentum est.

#### §. IV.

Inter Mundi miracula quartum tenent locum *Pyramides Ægyptiorum*; quas a Regibus Ægyptiorum exstructas quam plurimas fuisse notum est ex *Plinio*, vanitatis verius quam

quam admirationis exempla. Et quamquam in omnibus rebus vanitatem, quum nihil demum in vita sit hominum, quod constans, perpetuum & sibi semper consonans est, luculenter deprehendimus; Reges tamen Ægypti præ aliis vanitatum fure studiosi, quarum documenta Pyramidibus suis, quæ immensi erant laboris, nullius usus, dedere; hæc vero extitit causa constructionis, quæ pariter a plerisque probatur, *ne pecuniam successoribus suis præberent, aut ut nominis immortalitatem consequerentur, aut ne plebs esset otiosa.* Plures in honorem sepulturæ, cujus studiosissimi ac curiosissimi fuerunt Ægyptii, constructas volunt. Una harum fuit Arsinoitæ, duæ in Memphire, eoridem ubi fuit Mærides lacus, hoc est fossa grandis; Hæ vero Pyramides illis prioribus ex stitire nobiliores; nam præterquam quod quingentos passus super aquam eminebant, eoridemque sub aquâ occultæ fuerunt,



runt, notabiles erant collosi five  
 statuæ lapideæ utrisque impositæ  
 in solis marmoreis sedentes, ut scri-  
 bit *Herodotus* & *Ammian: Marcell: l. 22*  
 Quot vero præ aliis eminuere & or-  
 bem terrarum implevere famâ, de  
 iis ambigunt Autores, & adhuc  
 sub iudice lis est. Tres tamen eas  
 fuisse quidam volunt, & hæ sitæ e-  
 rant in monte Aphricæ saxo a Ni-  
 lo stadiis quadraginta duobus, a  
 Memphi, quam hodie Aleagrum vo-  
 cant, illo loco, ubi Nilus in duas scis-  
 sus partes, speciem literæ  $\Delta\epsilon\lambda\pi\omega$   
 præbet, stadiis centum viginti con-  
 spiciuæ undique a navigantibus: an-  
 te has est sphinx vel magis miran-  
 da, in quâ Amasin Regem Ægypti  
 conditum esse tradunt, suntque qui  
 hunc Pharaonem fuisse putant, ty-  
 rannum Judæis iniquissimum & in  
 omnes impotentem ac superbum.  
 Est autem sphinx juxta Plinium, sa-  
 xo naturali fabricata & lubrica,  
 capitis monstri ambitus per fron-  
 tem



tem centum duos pedes colligit, longitudo pedum centum quadraginta trium est, altitudo à ventre ad summum capitis apicem, sexaginta duos habet pedes. Cæterum earum trium pyramidum, quas celebratissimas fuisse diximus, amplissima, jussu & sumtibus Regis *Cheopis*, ex Arabicis lapidicinis sive marmore simili ebori maculoso, velut aliis placet, ex saxis dolatis, quorum nullum minus erat XXX pedum, ædificata est, qui propterea in ejus extructione sexaginta sex hominum milia viginti annis occupavit; fuit hæc lata pedes octingentos octoginta tres ab imo singulorum laterum paribus intervallis. Altera septingentorum triginta septem pedum latitudinem comprehenderat. Tertia minor quidem prædictis sed multo spectatior, Æthiopicis lapidibus constans, latitudinem trecentorum triginta trium pedum includebat. Harum altitudinem primus *Ibales*

*Milesius* unus ex Græciæ sapientibus  
*umbram, quâ horâ par esse corpori solet*  
*metiendò invenit.* Vestigia tantorum  
 operum jam temporibus Plinii nul-  
 la extiterant. Præter has unam ad-  
 huc à Rhodope meretricula factam  
 esse in confesso est, quæ utut mini-  
 ma fuerit, Regum tamen opera &  
 splendore & magnificentiâ longe  
 superavit. Fuit adhuc Pyramis, cu-  
 jus mentionem facit *Cæt: Rhodig:* a  
 Semiramide exstructa, cujus situs  
 erat Babylone in via nobilissima,  
 ex lapide Armeniorum montibus  
 exciso ædificata, nec dubium est  
 velle quosdam hanc ob magnificen-  
 tiam, qua exculpta erat, inter celebra-  
 tissima mundi miracula numerari.

### §. V.

In admiratione pariter fuit So-  
 lis Colossus Rhodi, quem hic quin-  
 tum constitutum orbis miraculum.  
 Extitit is in insula Rhodo; Rhodii  
 autem, propterea quod colossos im-  
 pen-

penſe amarent, quippe quorum  
 ſupra ſeptuaginta tria millia paſſim  
 per inſulam conſtruxiſſe dicuntur,  
 nomen tandem ab iis accipere, ſunt-  
 que dicti Colloſſenſes; qui tamen,  
 quamquam hoc quidam minus re-  
 cte velint, non iidem ſunt, ad quos  
 D. Paulus Apoſtolus epiſtolam ſu-  
 am ſcripſit; hi enim incolæ erant  
 Coloſſorum, urbis Phrygiæ cele-  
 berrimæ quondam & opulentiffi-  
 mæ, quam tempore Neronis terræ  
 motu everſam eſſe Eusebius in  
 Chronicis tradit. Cæterum Colos-  
 ſi ſunt moles ſtatuarum turribus  
 pares & imaginem hominis repræ-  
 ſentantes; hic quidem, cuius ſub  
 initium facta mentio eſt, in hono-  
 rem Solis à *Charete Lyndio*, Lyſippi  
 in arte ſtatuariâ diſcipulo, ducentis  
 annis ſumptu trecentorum talento-  
 rum, ex apparatu Regis Demetrii  
 collato, ædificatus erat. Quidam  
 tamen huius Coloſſi autorem vo-  
 lunt fuiſſe Lachetem quendam, in-

terquos etiam est Simonides in Epig:  
*in Colossium*. L. 4. Festus etiam Caletio  
 artifice formatum scribit; verum  
 falsum esse utrumque liquet ex te-  
 stimonio Artificis qui nomen suum  
 Colosso subscribit hoc modo:

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κόλλοσον ἐποίησεν δέκα  
 χάρτες ἐποίησεν πηκίων ὁ Δίνδι

Magnitudinem ejus æstimave-  
 ris ex altitudine septuaginta cubi-  
 torum, quæ præterea ut ex ungue  
 leo, sic ex solo pollice dignosci po-  
 test; ille enim tam vastus perhibe-  
 tur, ut qui eum porrectis brachiis  
 complecteretur, non inventus fuerit.  
 Cæteri vero digiti majores fuerunt  
 quàm pleræque statuæ. Anno autē quin-  
 quagesimo sexto, postquàm constru-  
 ctus fuerat, motu terræ est prostratus,  
 nihilominus sic quoque miraculo fuit.  
 Nam vasti specus hiarunt de fractis  
 membris & intus laxa magnæ mo-  
 lis spectata sunt, quorum pondere  
 ipsum opus stabilitum fuerat. Tan-  
 dem cum Saraceni sub Sultano Ægy-  
 pti

pti Rege Rhodum occuparunt, hunc Colossum jacentem & fractum Judæis vendidere, à quibus postmodum nongentis camelis exportatus est.

§. VI.

Ab hoc miraculo sextum esse volunt Mausoleum; quod postmodum omnibus magnificis & sumtuosis monumentis sepulchralibus, Regum cum primis & Cæsarum, nomen dedit, quemadmodum id clare innuit *Florus Lib. 4. cap. 11*; fuit autem id sepulchrum Mausoli Regis terræ Cariæ. Is uxorem habuit *Artemisiam* sui amantem supra omnis amoris fabulas & ultra affectionis humanæ fidem; præcipue autem eandem se præstitit, postquam humanis vir perfunctus est; tanto enim tum luctu & desiderio ejus flagravit, *ut ossa ejus cineremque mixta odoribus & bene contusa, aqua indiderit ebiberitque*; multa præterea violenti amoris indicia



fecisse perhibetur, inter quæ maximum erat, quod ejus memoriæ conservandæ causâ molita fuit sepulchrum illud famosissimum, quod *Mausoleum* appellavit, manibus & nomini defuncti mariti idem dedicans: ut testis est *Gellius Lib. 10. cap. 19.* Erat autem id formâ quadrilatera, ut tamen versus austrum & septentrionem latera essent longiora, & pedum quidem sexagenum ternum. Quodlibet laterum, suum habuit perfectorem: illud ab oriente absolvit Scopas; Bryaxis a septentrione, a meridie Timotheus; ab occasu Loochares. Ipsum vero opus toto circuitu spatium amplectebatur pedum quadrigentorum & undecim, quod in altitudinem viginti quinque cubitos attollebatur, & cinctum erat columnis triginta sex, ut habet *Plin: Lib: 36. cap. 7.* His accessit & quintus artifex qui turrinam marmoream viginti quatuor graduum super parietem erexit, in cujus



jus summitate quadriga erat mar-  
 morea artis eximiæ, quam Pythim  
 fecisse tradit *Plin: loco citato*. Hi di-  
 cti artifices id, ut esset inter mi-  
 racula mundi, ex industriâ fecere;  
 & quamvis Regina Artemisia an-  
 te opus absolutum ex vitâ exces-  
 sisset, non tamen ejus morte moti  
 ab opere recesserunt, *rati id gloria*  
*ipforum, artisque eximie documentum*  
*posteris fore, si incepto operi finem im-*  
*ponerent.*

### §. VII.

Ad septimum tandem orbis mi-  
 raculum devenimus, quod ut ob di-  
 versas Autorum sententias incer-  
 tum fere est, ita in eo determinan-  
 do magis habemur solliciti. Etenim  
 plurimos Historicorum, oratorum  
 & Poëtarum de septimo illo diffi-  
 dere deprehendimus. Nam alii illud  
 faciunt *Cyri Medorum Regis domum* quæ  
 a Memnone illigatis auro lapidibus  
 nigellis & candidis fabricata dici-  
 tur; alii aliud. Nos optimorum infi-

stantes vestigiis, *Templum Hierosolymitanum* illud esse dicimus, cum, quod Dei jussu & providentia sit exstructum, tum quod ab illo etiam, qui populo Dei extra ecclesiam non accensebantur, magni sit factum, tum denique quod, quæ in illud impensa sunt, nimis sint magna. Nam ut ea, quæ in templum secundum insumta sunt, taceamus, huc quanti primum templum Salomoni constiterit, ex traditionibus Rabbinorum apponere operæ duximus pretium:

Tonelli Coron.

<i>Aurum Salomoni donatum</i>	27121 = 2000.
<i>Argentum donatum</i>	20540 = = =
<i>Aurificum merces</i>	6080 = 2711.
<i>Gemma</i>	53741 = 22711.
<i>Æs</i>	520. = = =
<i>Ferrum</i>	516 = 66666.
<i>Lapides &amp; ligna</i>	1036 = 66666.
<i>Merces opificum</i>	240 = 76444
<i>Currus</i>	24 = 26616.
<i>Sacrificium &amp; epulum ded:</i>	13 = 73210.
<i>Tyrio Regi donatum</i>	7 = 55025.

---

Summa 109842 = 10049.

Urbs autem, quæ hoc Templo in æternum se attollit, Palestinæ erat, clarissima & florentissima omnium Orientis, *Hierosolyma*, etiam, *Solyma* & *Salem* dicta, possessa, quondam a Melchisedeco. Cæterum tum temporis *Moria* mons, in quo postea templum extructum fuit, nondum erat urbis illius pars. Templum illud duplex fuisse constat ex Sacris: prioris videlicet *Salomonii* fundamenta jacta sunt in modo nominato monte *Moriâ* die 6. Maii Anni a condito mundo 2933. dictumque est *Salomonium* a fundatore suo *Salomone*, Rege sapientissimo & ditissimo: Hujus deinde *Encænia* celebrata sunt octiduo ante Festum Tabernaculorum 1. die Octob: Anni 2939, ut intra septennium cum omnibus illic necessariis, singulari auxilio Divino perfectum fuerit. Domus exterior in longitudine quadraginta habebat cubitos: interior oraculi scilicet in fan-

sanctum sanctorum viginti, ut longitudo utriusque junctim sexaginta esset cubitorum. Porro viginti erat cubitorum latitudo, centum vero & viginti altitudo in suas mansiones distincta. Omnis deinde Domus de lapidibus, dolatis atque perfectis est ædificata, cedro intrinsecus vestita cum suis tornaturis, juncturisque fabrefactis & cælaturis eminentibus, auroque demum purissimo intecta. Inclusum erat templum triplici ambitu. Quorum extremum alienigenis ingredi fas erat: in eo qui ab illo proximus erat & muro discretus, Judæi utriusque sexus adorabant: In eodem erat porticus Salomonis, in quâ Servator frequenter docuit. Tertium ambitum, qui templo erat contiguus, sacerdotes tenebant. In mediâ prope ejus parte, ex adverso Templi Altare erat, in quo *suffitum* facere solebant sacerdotes. Ad utrumque  
 alta-

altaris hujus latus hinc *candelabrum* erat *aureum*: inde *mensa* item *aurea*, cum *panibus propositionis*. Intimum templi recessum *Sanctum sanctorum* dicebant; ibi servabatur *arca fœderis*, unde responsa DEUS reddebat. In arca illa positæ erant *tabule duæ lapideæ*, quibus legem ipse DEUS inscripserat, *vasculum Manne* & *Aronis virga*. Hæc arca in templo post exilium Babylonicum extructo, non erat. De ingentis pretii vasibus, *variis & neo*, *imaginibus Cherubim præstantissimis* aliisque, quæ in hoc templo ad stuporem usque vilebantur, videri possunt *Cap. 6. & 7. prioris Regi*: nec non *Josephus Lib. 15. cap. 14.* Templum tam magnificentum veræq; admirationis exemplum, a *Nabuchodonosore* Babyloniorum Rege excisum & inflammatum est, vasibus simul *Babyloniam* deportatis. *Posterius* instauratum est post 70 annorum exilium à Judæis permissu *Regum Persarum*. Cum enim consentiente *Cyro*,



*Cy*ro, in libertatem redierunt, factum est, ut non tantum vasa olim â templo surrepta reciperent a *Cy*ro, verum etiam potestatem condendi novum templum ab eodem obtinerent. Hoc templum divitiis quidem non æquavit Salomoneum quod præter alia ornamenta, nobilitatum etiam erat, igni Cœlesti, Majestate Divina, spiritu sancto seu prophetis, & denique *Urim & Thumim*. Attamen si conferendum exemplum est, sane longe illustrius erat templum ob Messiaë revelationem. Hoc invisit & veneratus est *Alexander Magnus*. Postea id ingressi sunt Romani Principes & Reges quam plurimi, maxime cupiditate videndi quemnam Deum Judæi colerent; nam credebant illius aliquam esse in templo illorum imaginem. Prophanavit ergo id *Antiochus*, & repurgarunt *Maccabæi*. Expugnatum postea est a *Cnejo Pompejo*, qui illud jure victoriæ ingressus est, & spoliatum a *Crasso*

Sed *Herodes magnus* dictus *Ascalonita* juxta prophanos *Historicos*, templum hoc ut populi gratiam sibi pararet, demolitus est, & multo splendidius a fundamento excitavit ad pristinam altitudinem; quod tandem *Romani* excidio *Hierosolymæ* funditus destruxerunt. Sic templum illud, quo aliud in orbe terrarum nemo vidit aut audivit ambitiosius, & propterea dignum satis, miraculis ut annumeretur super esse desit.

### CAPUT III.

*De miraculis a L. Ampelio recensitis sigillatim singulis*

**H**is ita pro captu ingenii exaratis, hac occasione etiã recensebimus miracula orbis à *Lucio Ampelio* tradita. Ex iis præcipuæ sunt considerationis sequentia; quod ad *Appoloniam* in *Epiro* & quidem in monte *Nymphæo*

phæo flammam ex petra exire dicit. Miram præterea symphoniam ex sylva *Panis* in oppidum audiri. Quænam vero & ubinam fuerit sylva *Panis*, dubium est; illud vero non videtur contrariari, quod refert *Cæli Rhod.* locum quendam in montibus *Nomiis* prope *Lycofynam* esse, quem *Melpiam* vocant, ibique sacellum *Pani* dicatum, quod inibi fistulæ melos compererit. Sub eodem monte *Panis*, lacum esse tradit *Ampeius*, aqua plenum, indeque picem exire & bitumen quod manibus contrectatum alte attollitur & ex aqua ebullit. Porro *Ambraciæ*, urbe *Epiri* nobilissima, pictos in pariete ostendi docet *Castorem*, *Pollucem* & *Helenam* manu cuiusdam *Autochtonis*, neminem vero invenire potuisse quis pinxerit. His subjungit pontem quendam magnum, columnatum & duplicem: hunc jussu *Medæ* adificatam ad arcem *Epiri* *Ippaton* dictam liquet ex *Pli-*

nio; jungit vero Acheronta amnem,  
 qui e lacu Thelipotiaë Acherusia oriens,  
 sinu Ambraciæ se infinuat; Pons ipse mille pedum longitudinem  
 complectebatur, tanto vero artificio est fabricatus, ut nihil quidquam  
 eo existat admirabilius, teste eodem *Plin*: Fuit etiam Ambraciæ Jovis  
 Hyphonis templum, unde descensam ad inferos esse fama vulgaverat,  
 & dicit Ampelius, duos ad inferos descendentes eo nomine ut  
 tollerent fortes, in viâ Jovem ipsum vidisse; ibi etiam picta fuerunt  
 gubernacula Argonautarum, quæ cœpta navis. Nobilem præterea esse docet  
 montem Epiri Leucaden a saxis candidis ita dictum, idque ob Fanum  
 Apollinis splendidissimum, quod in summitate montis existit,  
 ibi etiam sacra eidem DEO peragi certum est. Hunc montem  
 etiam Sappho clade suâ nobilem fecit, quæ ob amorem viri se inde præcipitavit,  
 at priusquam descendit, ex-

cipiebatur lintribus; hinc interro-  
 gata quamobrem se ita iret perdi-  
 tum? respondit se id instinctu a-  
 moris fecisse, quem ad se ἐλθεῖν ἐξ  
 οὐρανόθεν πορφυρῶν πέδιλοις ἐλημμένον χλαμύδα,  
 sive venisse ex cælo rubro indutum  
 pallio, dixit. Nec prætereundum  
 censeo illud, quod de antiquissimo  
 fano Apollinis Pythii in foro apud  
 Sicyonios exstructo memoriæ pro-  
 ditum est apud eundem Anapeli-  
 um, qui id nobilitatum esse credit  
 ob vetustissima monumenta ibidem  
 conservata. Erant vero Agamemno-  
 nis Regis Trojanorū clypeus & ma-  
 chæra, Ulyssis chlamys & toracium,  
 Teuceri sagittæ & arcus Adrausti Re-  
 gis Argivorum; his accedit arca, in  
 qua quid sit, ignoratur, & olla æ-  
 rea in quâ Peliam coctum esse pro-  
 ditum est, fuit is Neptuni & Tyri  
 filius quem ex eqva educatum re-  
 fert Cælar. Rhodig. His subjungun-  
 tur Palamedis cithara, corium re-  
 mi Argonautarum & gubernaculi  
 bra-



brachia, poculum seu cauculus Minervæ. Mirum vero erat pallium, proci cujusdam parasiti subtilissimum, quod etiam in æde Apollinis servabatur, id de cervice Orestæ, filii Agamemnonis & Clytemnestræ, dependens, tantæ erat subtilitatis, ut, cum quis halitu quam minimo illud afflaverat, tota patefieret. Memoratur & hoc, quod ibi sit fons unde oleum scaturit. Lanceam vero Meleagri quâ suem confecisse perhibetur, & tibiâs Mæsiæ illic servari, tradit Cæl: Rhod: Hic vero obiter notasse volumus *Apollinem Pythium dici a serpente quodam ejusdem nominis, & inusitatae magnitudinis, quem sagittis confecit Apollo, atque hinc etiam ludi, qui ipsi fiebant, dicebantur Pythii.* Cæterum ad Ampellinam revertamur, qui inter miracula mundi etiam refert templum Junonis Inachis, quod Argis est, magnifice ornatum; nec dubium esse credimus, quin hoc idem sit

templum, quod *Heræum* appellat.  
 Cæl: Rhod: notum enim est *Funo-*  
*nem heram* appellari idque pro fortuna,  
 sunt etiam, qui asseverant gratiam signifi-  
 care, atque item auxilium; dicitur etiam  
 Grecis *ἱερὸν Ἑρῆς* sive *Regalis vicia*, quo-  
 nam sit *Funo Βασιλεία*, ut differit Cæl:  
 Rhodig: Huic subnectitur temp um  
 Jovi Olympio sacratum quod etiam  
 miraculis annumerat L. Amp: , id  
 fecit Libon indigena cum colu-  
 mnis marmoreis, non lautitiæ cau-  
 sa, nondum enim ista intelligeban-  
 tur, dicente Plinio, sed quia firmi-  
 us aliter statui non poterat, hasque  
 columnas Syllam Capitolinis ædi-  
 bus advexisse Romam, patet ex eo-  
 dem Plinio. Sicut erat hoc tem-  
 plum Athenis, ibique Jovis simula-  
 chrum positum erat, quod Phidi-  
 am fecisse, superius diximus. Hic  
 fortitudinis & artis suæ tirocinia  
 deponere consueverunt Athletæ.  
 Notatu digna etiam censeatur costa  
 Balenæ quam Chorointhi esse dicit  
 Am-

Ampelius, tantæ magnitudinis, ut ab homine amplecti nequeat. Præter hanc fanum ibi vult esse Veneris, in quo vas marmoreum Laidos ceram affleverat. Bœotia item lacum esse in quo devoratus fertur fuisse Amphiaræus, *qui primus ignis spicia siue divinationes ex aspectu ignium invenit juxta Plinium.* Porro miranda est urcea fictilis Bœotia & quidem fracta, pendet vero testa inter se composita, unde autem pendeat non apparet. Nec minoris est admirationis lapis ille quadratus qui Illo est, ubi alligata quondam fuit Cassandra, hunc si quis ante tetigerit aut fricaverit, lac demittit, ex alterâ parte similiter fricatus sanguinem reddit. Nobilis etiam ædes erat Athenis, ad cujus latus sinistrum clypeus fuit, in cujus medio Dædali imago ita fabricata conspiciebatur, ut, si quis eam e clypeo velleret tollere, pereat totum opus, & solvatur quoque signum. Inter miracula etiam

nominatur, simulachrum Minervæ,  
 quod etiam fecit Phidias Atheni-  
 ensis, idem ille qui etiam Jovis  
 simulachro autor extitit; Minervæ  
 vero duas fecit statuas, ex ebore  
 unam, ex ære alteram, tam eximiæ  
 pulchritudinis ut a forma cognomen  
 acceperit, teste Plin: De Fano Dia-  
 næ Ephesinæ, quod etiam inter mi-  
 racula relatum esse reperitur ab  
 Ampelio, in capite superiori egi-  
 mus; hoc tantum nunc adjiciam,  
 quod de facie Dianæ mirabili ob-  
 servatum est apud Plinium; *qui ejus*  
*vultum ab intrantibus templum tristem*  
*visum esse ait; ab exeuntibus vero exhi-*  
*laratum.* Erat etiam aliud templum  
 Ephesi, Dianæ sacrum, id vero ædi-  
 ficatum erat ab Amazone, ibi sepul-  
 chrum Icaridormientis, quasi stertat,  
 conspiciebatur, fuit illud miræ ma-  
 gnitudinis ex orichalco & ferro.  
 Adhuc Rhodi simulachrum Dianæ  
 erat pulcherrimum *stans sub Divo*

*cælo, attamen cum pluit, aquâ non tan-*  
*gebatur. Samo scyphus Junonis*  
*fuit, & quidem ex hædera, stupen-*  
*dæ magnitudinis, cujus capita for-*  
*mâ Arietinâ foras quatuor, corni-*  
*bus miræ magnitudinis contortis.*  
*Pergamo pretiosissima ara extitit*  
*marmorea, alta pedes quadragin-*  
*ta, cum maximis sculpturis, totam*  
*gigantomachiam exprimentibus.*  
*Omnia tamen superat lucerna illa*  
*miranda quam Argyni in Fano Ve-*  
*neris super mare ædificato, fuisse*  
*meminit idem Ampelius; hanc su-*  
*per candelabrum positam & ad mare*  
*lucentem sub divo cælo, nec ventus un-*  
*quam aspergebat, nec pluvia extinxerat.*  
*Huic similis erat cavea rotun-*  
*da ac ferrea, in æde Herculis, an-*  
*tiqua de columna pendens, in qua*  
*etiam conclusam fuisse Sibyllam*  
*proditum est. Ejusdem erat admi-*  
*rationis illud, quod Marmesiæ inter*  
*columnas quatuor, pendeat victo-*



ria ferrea in aëre, sine aliquo vinculo, *hæc tempestate tranquilla iudebat & movebatur, sed quoties ventus erat aut pluvia, mansit immobilis.* Mirabilis etiam erat Solis colossus marmoreus Rhodi, erat is super columnam centum cubitorum collocatus, cui subjecta erat quadriga marmorea. Cæterum non confundendus est hic cum colosso, de quo in præcedente capite dictum est, ubi etiam Rhodi colossos quam plurimos fuisse asseveravimus. Denique etiam pyramides inter miracula mundi ponit Ampelius, de his item superius egimus; hoc vero de illis oblitus sum monere, *cur scilicet sic dicantur; illud vero ambagiosum grammaticis fieri docet Cæl: Rhodige quibusdam eos laceffentibus qui διὸ τῆς πυρὸς id est ab igne, inflecti opinantur, quoniam absque certo autore diti credunt, propterea Stephani vestigia insequuti ab trisico, quod πυρὸς nuncupatur, deduci*

ma.

malant, quoniam eo illuc aggesto fa-  
 mes per Ægyptum irroboravit. Scien-  
 dum tamen prioris sententiæ auto-  
 rem videri Ammianum Marcellinū  
 libro secundo & vicefimo, quia scilicet  
 figura in acutum desinens, ab Geo-  
 metris sic appellatur, quod in morem i-  
 gnis in conum ingruat. Inter miranda  
 etiam collocatur Nilus fluvius, cui  
 Alexandria præcipuus servatur ho-  
 nos; is vero est in oppido quodam  
 cui nomen Agartus, factus ex ære,  
 plexilis in cubitis trecentis, facie ex  
 smaragdo limpido, & brachiis ex e-  
 bore magno, aspectu vero gaude-  
 bat tam horribili, ut etiam bestiis  
 terrorem incuteret. Tot sunt mi-  
 racula recensita a Lucio Ampelio,  
 quæ si recte æstimantur, septem il-  
 lis prioribus haud posteriora veni-  
 unt censenda.

## CAPUT QVARTVM.

De rebus aliogvū miris in orbe passim traditis. Qvōd miracula sint ex τῶν πρὸς τὴν, scil: respectiva, nec unum omnibus esse miraculum.

## §. I.

**P**orro inter illa quæ cæteroque admiratione aut omnino laude digna plurimis visa sunt, maxime eminent *Capitolium* urbis Romæ, sic a capite humano in fundamentis reperto dictum, cuius dignitatem & splendorem mire effert *Ammianus Marcellinus* ubi ait: *Serapeum Alexandria*, atriiis & columnis amplissimis & spirantibus signorum figmentis, ita esse exornatum ut post *Capitolium* nihil orbis terrarum cernat ambitiosius. Hoc templum Jovi, Junoni, & Minervæ primum vovisse statuunt *Priscum Tarquinium* in bello Sabino, at ereptum subitâ nece, nec fundamenta  
je.

jecisse tradit Aug: de Civit: Dei L.  
 4. Receptum deinde hoc opus est  
 & prope absolutum a Tarquinio  
 superbo. Erat etiam ante hoc *Capitoli-  
 um*, aliud quoddam sacellum in  
 clivo Florali, item Jovi Junoni &  
 Minervæ sacratum, & hinc duplex  
*Capitolium* Romæ fuisse, est apud  
 Cæl: Rhodig: vetus scilicet & no-  
 vum, *Capitolium* vetus, quod sa-  
 cellum fuisse diximus tribus tan-  
 tum Diis dicatum erat. At in novo  
 præter horum imagines, omnium  
 Deorum simulachra colebantur,  
 cujus rei nobis indicium facit Ci-  
 cero ad eqvites de exilio, ubi hujus-  
 modi sunt verba: *Nunc ego te Jupiter  
 optime maxime cujus nutu & ditione sola  
 terrarū gubernantur, teq; particeps con-  
 nubii sacra regni Regina Juno, teque Tri-  
 tonia armipotens, Gorgona, Pallas Mi-  
 nerva, ceterique Dii Deaque immorta-  
 les, qui excellenti tumulto civitatis sedem  
 Capitolii in saxo incolitis constitutum.*  
 Extruxit vero id Tarquinius in  
 mon-

monte Tarpejo, & quidem ex ma-  
 nibus oppidi Latinorum Agiolarum,  
 autore Plinio. Porro nec illud indi-  
 gnum sciri est, quomodo id ab in-  
 cursionibus Gallorum custodiebant  
 anseres, qui inibi sacri servaban-  
 tur Junoni, Galli enim transalpini,  
 cum sapissime magnâ manu infesta-  
 rent Italiam, Romam etiam, anno ab  
 eâ conditâ trecentesimo sexagesimo,  
 occupabant, excepto *Capitulum*, quod  
 etiam cepissent, nisi anseres clan-  
 gore suo, hostes noctu viam ex-  
 plorantes, prodidissent, vigiles-  
 que qui obdormierant, excitassent,  
 ita M. Manlius Gallum, quem  
 primum in summo consistentem  
 deprehendit, umbone deturbavit,  
 hic alios secum pondere corporis  
 traxit in ruinam, interea ad tu-  
 multum accurrunt Romani, & Gal-  
 los magna vi repulerunt. Nota-  
 bile erat simulachrum Jovis ex la-  
 pide factum, hinc lapis Capitoli-  
 nus Augustino est, Romani vero  
jus.



jusjurandum laturo, per Jovem, lapidem sanctissimum, jurabant. Incensum tandem est a servis & exulibus, tempore Valerii consulis. De hoc plura tradit Aug: Lib: 3. Huic non posterius fuit *Serapeum* Alexandriae magnificentissime extructum, teste Marcellino. De origine *Serapis* cui hoc templū dicatum erat variis dissident sententiis autores; quidam enim Æsculapium fuisse putant, cui cura ægrotorum, ut iis mederetur commissa; alii Osirim, quod antiquissimum fuit numen Ægyptiorum, & ab iis præcipuo honoris cultu colebatur; Quidam solem per eum intelligunt. Nos cum Augustino revera Regem Argivorum *Apim* fuisse dicimus. Hic enim, navibus semel in Ægyptum transvectus, ibidem in arcâ diem obiit, quâ deinde Alexandriam translatus est ibiq; composito nomine, ex Græco vocabulo *ἀρκα*, quod arcam significat, & *ἄπης*,

vocatus est Sorapis, postea vero dictus Sarapis, pro omnium maximo Deo ab Ægyptiis haberi cepit. Quo vero magis divinatis ejus opinio augeretur, pœna capitali interdictum est, ne quis eum hominem fuisse indicaret. Hinc etiam in omnibus templis *Serapi* dicatis pingebatur *Harpocrates*, quem Sigalion Ausonius nominat a *σῆγάω*; fuit vero pictus cum digito ori impresso, quasi monere videretur, ut silentium fieret; quo non aliud significare voluerunt sacerdotes, quam ut omnes silentio dissimularent, Apim hunc hominem fuisse: Hinc pro tacito homine in proverbium abiit, Huc fortasse alludit quoque Ovidius Lib. Meth: 9.

*Santæque Bubastis variisque coloribus*

*Quique premit vocem & digito silentia*  
*svadet.*

Huic templum exstruxit Alexander Magnus magnificentissimum &

imprimis clarum; fuit vero id Alexandria, quod præter alia ornamenta quam plurima maxime nobilitatum erat simulachro *Serapidis* ferreo, quod, vi magnetis, in laquearibus templi affixi, attractum, in aëre pendeat dicente Aug: Erat etiam bos in Ægypto dictus *Apis*, cujus, omnes scriptores qui res Ægyptias describunt, mentionem faciunt, præcipue *Plinius* L. 8. c. 46. huic etiam divinus servabatur honor ab Ægyptiis; fuit autem niger toto corpore, maculam albam cornibus *Lunæ* crescere incipientis similem habens in dextro latere, in tergo effigiem aquilæ, in lingua vero nodum habuit scarabei forma, & duplices in cauda pilos. Hunc adorabant Ægyptii ut maximum Deum: huic bovi non licebat certos excedere vitæ annos, sed cum eo pervenerat, a sacerdotibus merlus in fontem enecabatur. Quo mortuo, alius bos similibus insigni-

tus maculis, magno cum luctu quærebatur, nec finis erat luctus priusquam alium invenirent. Ejus venerationem enarrare nimis foret prolixum, id vero cum apud omnes autores, qui de rebus Ægyptiis agunt, inveniri possit, ex occasione indicare tantum volumus:

## §. II.

Illam vero quæ hæctenus allata sunt, merito superat mirabilis ille *gnomon*, quem ad obeliscum in campo Martio fecit Divus Augustus Cæsar, adprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines: erexit lapidem similem obelisco, qui cum umbrâ suâ responderet ad rationem ejus tractus, paulatimque per regulas quæ erant ex ære inclusæ, singulis diebus decreskeret; hujus *gnomonis* apici auratam pilam adjecisse *Manlium Mathematicum* refert Plin: L. 36. c. 10. ubi hunc in modum dicit: *Manlius*

*Mathematicus hujus apici auratam pilam*  
*adjecit, cujus vertice umbra colligeretur*  
*in semetipsam, alia incrementa jaculan-*  
*tem apice, ratione ( ut ferunt ) a capite*  
*hominis intellecta. Id vero quomodo*  
*operatus fuerit, variant autores:*  
 An pilam sic imposuerit ut extaret  
 tota humani capitis similitudine:  
 an de lapide refecuerit, quantum al-  
 titudo pilæ fuit additura, quod mi-  
 nime credit Jacob Dalechan pius in  
 notis super Plinii cap. 10. Lib. 36. cum  
 obeliscos ob religionem sacros ha-  
 beret antiquitas. Verum hunc gno-  
 monem postea terræ motu discuf-  
 sum, cum cursu solis non congruisse  
 certum est ex Plinio in loco citato.  
 Cæterum portentissimum humani  
 ingenii opus fuit *laborinthus Ægyptius,*  
 quem molitus est *Petefuccus Rex* in  
 Heracleopolite nomo Herodotus ve-  
 ro à duodecim viris exstructum scri-  
 bit. Causã vero faciendi varie inter-  
 pretantur. Quidam Regiam Mo-  
 therudis fuisse volunt, alii Miridis



sepulchrum qui Ægypto præfuit post  
 Actisanem Æthiopiæ Regem, qui  
 Ægyptum devicto Rege Amasi suo  
 subjecit imperio, *Diod. lib. 2. Bibl.* Plu-  
 rimi *Soli* eum dicatum volunt quod  
 maxime creditur. Positionem ejus  
 operis singulasque partes enarrare  
 e re non est, cum sit in regiones di-  
 visum. Univerſus *laborintus* teste  
 Herodoto, tribus millibus & quin-  
 gentis domibus constabat, præterea  
 templa omnium Deorum contine-  
 bat cum eorum simulachris; inter  
 illa etiam erat colossus *Serapis* ex  
 smaragdo limpido novem cubito-  
 rum altitudine. His accedunt quin-  
 decim Amasis ædiculæ, & super e-  
 as exstructæ pyramides complures  
 quadragenarum ulnarum, senos ra-  
 dice muros obtinentes, ut autor est  
 Plin. Herodotus scribit pyramidem  
 fuisse quadraginta passuum: eidem  
 concinit Strabo, sed ejus quadratæ  
 quodlibet latus quatuor jugerum  
 fuisse pari latitudine, alias pyrami-  
 des

des præter eam illi scriptores non recitant. Denique includit viarum inexplicabilem errorem, & cœnacula excelsa, nec non porticus quæ omnes nonagenis ascendebantur gradibus: intus columnæ existunt ex Prophyrite lapide, Deorum simulachra, Regum statuæ monstrificæ effigies. Quarundam vero domorum talis fuit situs, ut aperiens fores tonitruum intus terribile existeret. Inde transitus est per tenebras, aliæque, extra murum laborinthi, ædificiorum moles, inde excipiunt, pertossis cuniculis aliæ subterraneæ domus. *Dædalum*, laborinthum in Creta ad hujus exemplum ædificasse traditur, at vix centesimam ejus portionem imitatum fuisse; de his plura agit *Plin: L: 36. c. 13.* describit porro eam *Ovidius L. 8. Metamorph:* hoc modo: *Dædalus ingenio fabre celeberrimus artis*  
*Ponit opus, turbatq; notas, Elimina flexis*  
*Ducit in errorem variarum ambage viarum.*

*Nec secus ac liquidis Phrygius Meandros  
 in undis  
 Ludit, & ambiguo lapsu refluitq;, fluitque,  
 Occurrensque sibi venturas aspicit undas,  
 Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus  
 apertum  
 Incertis excercet aquas, ita Dædalus implet,  
 Innumeras errore vias, vixque ipse reverti,  
 Ad limen potuit: tanta est fallacia tecti.  
 Sed Philochorus apud Plutarchum,  
 laborinthum Cretæ tantum fuisse  
 putat carcerem ex quo effugere  
 non possent, qui asservarentur. Fuit  
 & tertius laborinthus Lemni, opus  
 Zenili & Rholi & Theodori architecto-  
 rum. Plinius exstare ejus vestigia  
 dicit, cum Cretensis & Italici nulla  
 extent. Accedit & quartus laborinthus  
 Italicus sub urbe Clusio, quamadmo-  
 dum Varro dicit Porfennæ Regis E-  
 trusci monumentum. Definitur por-  
 ro laborinthus; quod sit ædificium me-  
 atibus variis & ambagibus sinuosum & in se  
 reflexum, quod ingressis errorem parit  
 dicente Lud: Vide in annot: super Aug:  
 Lib. 18- cap. 13.*

§. III.

Tandem ex enumeratis mirabilibus, aliisque per plurimos, quæ hic enarrando persequi super sedemus, colligimus miracula respectiva esse, & ἐκ τῶν πρὸς τῷ, nec unum omnibus esse miraculum. Adeo tenaces quidam fuere suæ sententiæ, ut septem, præ aliis in orbe mirabilibus, eminerent, firmiter sibi persuasum haberint, nec tamen hic uni cum altero omnia conveniebant, cum, quod de septimo magna illis semper fuerit dissensio, notum satis superque sit. Recordamur commodè supra dictorum memoriam, ex quibus patet Cyri Medorum Regis Archivum septimum inter miracula locum à nonnullis assignatum esse, à quibusdam templo Hierosolymitano, reliquis vel urbis Romæ Capitolio, vel magnificæ Apollinis aræ, aliis demum ab aliis. L. Ampelio, ut ex antecedentibus constat multo plurima miraculi nomine venerunt. Alii per-

perspecta sæpius rei alicujus ma-  
 gnitudine, tantâ postmodum illius  
 non tenentur admiratione, quan-  
 tam modo supponunt, sed rursus in  
 aliud feruntur, quod raritate suâ  
 mentem ipsorum ad attentionem  
 novam commovere potest: sic ut  
 refert Plinius, Protogenes olim sor-  
 debat suis, ut plerumque domesti-  
 cis; & apud Terent: Cheream sem-  
 per tædebat quotidianarum forma-  
 rum; tam levis enim mens est hu-  
 mana, ut primo inter incredibilia  
 habeat, inveniri tale quid posse, post-  
 quam autem inventum est, fere pœ-  
 niteat se videndi ejus desiderio mo-  
 tam fuisse, sæpe tanto magis, quo  
 nova ista ac rara præconceptæ opi-  
 nionioni rarius admodum respon-  
 dent. Ratio autem. cur unum non  
 omnibus æque placeat, & res admi-  
 ratione dignæ, suâ paulatim exci-  
 dant æstimatione, a longinquo non  
 arcessenda est; quæri tamen non  
 tam in ipsis objectis, quam in ho-  
 mi-



minibus, quibus hæc objecta representari contingit, debet; nam ipsa quidem objecta, prout magis vel minus habent insoliti, itemque magis & minus diversa sunt a cognitis, sic quidem spectantes vel longiori vel breviori mora in sui admiratione suspensos tenent, citiusq; aut tardius propter frequentiam & consuetudinem vilescunt & negliguntur. Homines vero & spectatores quod attinet, quemadmodum a natura dispositi sunt, ut admirandam rerum pulchritudinem varietatemque contemplantur, seque ad earum attentionem continue attollant, ita sciendi illud experiendique studium insatiabile est, ut vix impleri possit, sed quamquam variis modis mentem promoveant, ultra tamen vagatur, nec ullos agnosceret terminos. Quod cum ita sit, mirum non est, quod res cognitæ perspectasque ut vulgares & ubique obvias mens reputat, moxque ex volupta-

ptate, quam ex novo & ignoto ad-  
 spectu percipi existimat, prioribus  
 neglectis feriatur. Id quod etiam re-  
 bus, quas hic miracula vulgus no-  
 minat, usu venire constat. Quæcun-  
 que enim præsens spectat humanus  
 animus, his honorem parcius im-  
 pendit, remotiora omnia magis ad-  
 miratur. Unde tandem consequitur  
 ut quod mirari desit unus, alter de-  
 mum incipiat, si postea huic quam  
 illi obviam fuerit. Hæc ex data oc-  
 casione notasse satis fit; ne vero ul-  
 teriori eorum commemoratione,  
 ansam præbeamus cogitandi nos ab  
 instituto nostro aberrasse, factu  
 sup<sup>er</sup> optimum duximus hic  
 subsistere.

F I N I S.

